

*Adulteratur cedri resina vel gummi, alias melle, aut amygdalis amaris: omniaq; ea deprehenduntur gustu. Pretium optimo xix. Exit & in Pamphylia, sed acrior* <sup>acrior</sup> *dior, minusq; succosus. Dat & galbanum Syria in eodem Amano monte e ferula, quam eiusdem nominis resina modo Stagonitin appellant. Quod maxime laudant, cartilagosum, puru ad similitudinem ammoniaci, minimeq; lignosum. Sic quoq; adulteratur faba aut sagapeno. Synceru si vratur, fugat nidore serpentis. Permutatur in libras v. Medicina hoc tantum.*

De panace, & spondylio, & malobathro.

CAP. XXVI.

**P***Anacen & vnguentis eadem gignit, nascentem & in Psophide Arcadiae, circaq; Erymathi fontes, & in Africa, & in Macedonia: ferula sui generis v. cubitorum, folijs primo quaternis, mox senis in terra iacentibus, ampla magnitudine rotundis, in cacumine vero oleagineis, semine in muscarijs dependente, vt ferula: excipitur succus inciso caule mesibus, radice in autumno. Laudatur candor eius coacti. Sequens pallido statera. Niger color improbatur. Pretium optimo i libras bini asses. Ab hac ferula differt quae vocatur spondilion, folijs tantum, quia sunt minora, & platani diuisura. Non nisi in opacis gignitur. Semen eodem nomine silis speciem habet, medicina tantum vtile. Dat & malobathron Syria, arborẽ folio conuoluto, arido colore: ex quo exprimitur oleum ad vnguenta, fertiliore eiusdem Aegypto: Laudatius tamen ex India venit. In paludibus ibi gigni tradunt lentis modo, odoratius crocos, nigricans, scabrũq; quodam salis gustu. Minus probatur cadidum. Celerrime fitũ i vetustate sentit. Sapor eius nardo similis esse debet sub lingua. Odor vero in vino sufferuesacti antecedit alios. In pretio quidẽ prodigio simile est, a singulis ad ccc. peruenire libras: oleũ autẽ ipsum in libras lx.*

De oleo omphacio. CAP. XXVII.

**O***leum & omphacium est. Fit duobus generibus, & totidẽ modis, ex olea & vite. Olea adhuc alba expressa, deterius ex druppa: ita vocatur priusquã cibo matura sit, iam tum colorem mutans. Differentia, q; hoc viride est, illud candidũ. E vite fit psyttia aut aminœa, cũ sint acini ciceris magnitudine ante canis ortum. In prima lanugine demittitur vna, eiusq; melligo. Reliquũ corpus sole coquitur. Nocturni rores cauẽtur. In fictili condita melligo colligitur, subinde Cyprio ære seruatur. Optima quae ruffa, acriorq; & aridior. Pretiũ omphacio i libras vi. Fit & alio modo, cum in mortarijs vna immatura teritur: siccataq; in sole, postea digeritur in pastillos.*

De bryo & œnanthe, & de elate arbore, & cinnamo caryopo. CAP. XXVIII.

**E***odem & bryon pertinet vna populi albæ. Optima circa Gnidum aut Cariam, in sitiẽtibus aut siccis asperisq; secunda in Lycia cedro. Eodẽ & œnãthe pertinet. Est autẽ vitis labruscæ vna. Colligitur cũ flore, cũ optime olet. Siccatur i umbra substra*

*to linteo, atq; in cados cõditur. Præcipua ex Parapatamia, secũda ab Antiochia, atq; Laodicea Syria, terra ex montibus Medicis. Hæc vtilior medicina. Quidam omnibus ijs præferunt eam, quæ in Cypro insula nascitur. Nam quæ in Africa fit, ad medicos tantum pertinet, vocaturq; massaris. Omnis autem ex alba labrusca præstantior quàm e nigra. Est præterea arbor ad eadem vnguenta pertinens, quæ alij elatem vocat, quod nos abietem, alij palmam, alij spathẽ. Laudatur Ammoniaca maxime, mox Aegyptia. Dein Syriaca, duntaxat in locis sitiẽtibus odorata, pingui lacryma, quæ in vnguenta additur ad domandum oleum. In Syria gignitur & cinnamum, quod caryopon appellant. Hic est succus nuci expressus, multum a surculo veri cinnami differens, vicina tamen gratia. Pretium in libras asses quadraginta.*

## C. PLINII SECVNDI NATVRALES HISTORIÆ LIBER XIII.

PRO O E M I V M.



**H***ACTENVS in odoribus habent pretia syluæ, erantq; per se mira singula, inuitque luxuriam ea omnia miscere, & e cunctis vnum odorem facere: ita reperta sunt vnguenta.*

De vnguentis, & quãdo primum sunt cognita nobis, & de compositione. CAP. I.

**Q***uis primus inuenerit nõ traditur: Iliacis temporibus non erant, nec thure supplicabatur: Cedri tantũ & citri suorũ fruticum in sacris fumo conuolutũ nidorem verius q; odorem nouerant, iam rosæ succo reperto. Nominatur enim id quoq; in olei laude. Persarum esse debet gentis vnguentum. Illi madent eo, & accersita cõmendatione, in gluuie natũ virus extinguunt. Primum quod equidem inueniam, castris Darij regis expugnatis, in reliquo eius apparatu Alexãder cepit scrinium vnguentorum. Postea voluptas eius a nostris quoque inter laudatissima atque etiam honestissima vitæ bona admissa est. Honosq; is & ad defunctos pertinere cœpit. Quapropter plura de eo dicemus. Quæ ex his non erunt fruticum, ad præsens nominibus tantũ indicabuntur, natura vero eorum suis reddetur locis. Vnguentis cognomina dedere alijs patriæ, alijs succi, alijs arbores, alijs causæ. Primumque id scire conuenit, mutatam autoritatem, & sepius transisse gloriam. Laudatissimum fuit antiquitus in Delo insula, postea Mendesium. Nec mixtura & compositione tantum hoc accidit, sed idem succi varie alibi ad qualibet præualere, aut degenerare: Irinum Corinthi diu maxime placuit, postea Cyzici: simili modo rhodinum Phaseli, quam gloriam abstulere Neapolis, Capua, Træneste. Crocinum in Solis Ciliciæ diu maxime laudatum, mox Rhodi.*

Oenan-